

ginem Romanorum in libris Homeri praecipue de eversione Troiae, unde Roma initium sumpsit, ut habuissent solatium Romani, scripsit Virgilius adversus Graecos de fortitudine
60 et origine Romanorum cum opere Aeneae, filii Anchisae et qualiter Aeneas primo Romam petivit et fortitudine sua superato Turno obtinuit. in quibus narratur opulentia virtus et maiestas Caesaris et quomodo ille a multis saeculis prophetatus sit. maxime Gentilius Varus ista hortatus fuerit, cui in eius honore Virgilius scripturum promittit
65 XII libros, dicens inter VI eglogas [dicens] [*bucol. VI, 6 sq.*]: 'tunc tibi dicere laudes, Vare, tuas'. isti inimici Virgilii adversabantur illi: Cornificius, Clodius, Mebeus, Vabeus, Archades, Vavius et Mevius. si quaeris locum, ubi primum
70 scribere inchoaverit exordium librorum, dico verum bucolica et georgica, in Partenope civitate, quae Cima et Neapolis et Neapolis vocatur. ibidem primam partem sui libri scripsit. XII vero libros Aeneidos heroici carminis, postquam amicitiam Caesaris adeptus est, Rome scripsit. alii
75 tamen Mantua hoc scripsisse putant. quo, inquires, tempore quidem? Augusti, inquam, Caesaris, a quo reges Romanorum coeperunt Augusti vocari, qui regnavit annis LVI et mensibus VI. qua ex causa, nosse vis: pro postulatione hereditatis suae ad laudem Caesaris in honore Assinnii
80 Pollionis bucolica scripsit. item in laude Caesaris et honore Mecenate georgica edidit, item in laude Cae(saris), petentibus Romanis, XII libros Aeneidos composuit. bucolica plurale nomen est gen(eris) neutri ab eo quod est 'bos' et 'umbocolo' compositum et est adiectivum nomen. bucolica
85 id est boum cultura: Isiodus dicit. bucolica pastorale carmen, quod Siracusani a pastoribus opinantur esse compositum. alii a Lacedemone transeunte Exerse rege Persarum in Traciam et cum Spartanarum virgines metu hostili urbem egredi non auderent nec pompam quarumcumque agrestium
90 in honore Dianae exercerent, turba pastorum, ne religio